

DILECTIS FILIIS

J. S. RAYMOND, *Vicario Generali Superiori, Professoribus et Alumnis Collegii S. Hyacinthi in Americâ Septentrionali.*

PIUS P. P. IX.

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. Sensus animi Nobis Sanctæ que huic Petri Sedi divinctissimi, omni ex parte Litteræ præseferunt, quas a vobis libenti prorsus animo accepimus. In his enim communi vestrum nomine, incredibilem hanc Italiæ universæ conversionem ac temporalis status Nostri usurpationem dolere ac lamentari voluistis, quam mox Sardinie rex facto armorum impetu iminisse que magno exercitu suo plene absolvit. Jure adversus hæc omnia reclamatis, Dilecti Filii, quando quidem communis omnium fidelium Patris plena et absoluta libertas cum bono et utilitate universalis Ecclesiæ arctissime omnino conjungitur, atque ad omnes catholicos patrimonium spectat, quo Divina Providentia ad liberum Apostolici muneris exercitium Romanum Pontificem Christi Vicarium adauxit. Vivis idcirco posteris que haud credendum videbitur initum potentium fœdus, qui viribus omnium perduellium sibi adscitis civilem sedis Apostolicæ principatum proscindere et evertere quin ullus eisdem resistat impudentissime statuerunt. Sed fiducia Nostra in Deo est qui detestanda hujus modi facinora non patietur, atque eidem in humilitate cordis die ac nocte supplicamus ut videat afflictionem Nostram et in potentia virtutis suæ inimicos Ecclesiæ sanctæ disperdat. Vos interim, Dilecti Filii, in oratione et obsecratione unanimes perseveretis ut misericors et miserator Dominus in Nostram Vestrum que omnium afflictionem respiciat, atque ut faciat ubique Pacem et tranquillitatem. Ac paternæ Nostræ in vos caritatis pignus sit Apostolica Bene-